



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 4. Utrùm inhærens justitia habitualis, quâ justificamur, sit qualitas simplex, an plurium qualitatum collectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

ARTICULUS IV.

Utrum inherens iustitia habitualis, qua iustificamur, sit qualitas simplex, an plurium qualitatum collectio.

RESPONSIO.

Inherens iustitia habitualis consistit in collectione habituum fidei, spei, & charitatis, quibus una cum remissione peccatorum iustificamur.

Prob. 1. ex Conc. Trident. Concilium sess. 6. c. 7. dicit hominem iustificari per remissionem peccatorum, & voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, quibus sanctificatur, & renovatur interior; verba Concilii jam non semel recitavimus. Atqui Concilium per gratiam & dona, quibus homo sanctificatur & renovatur interior, intelligit habitus fidei, spei & charitatis. Ergo ex Concilio, homo iustificatur per habitus fidei, spei, & charitatis, juncta remissione peccatorum. Ergo ex Concilio, inherens iustitia habitualis consistit in habitibus fidei, spei & charitatis, juncta scilicet remissione peccatorum.

Prob. min. Nam Synodus postquam enumeravit causas omnes nostræ justificationis, sic prosequitur: *Quamquam nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur. Id autem in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inheret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque Corporis ejus vivum membrum efficit.*

Juxta Synodum, homo iustus efficitur, cum ei certo modo communicantur merita Passionis Christi; & certo illo modo communicantur merita Passionis Christi, cum infusas accipit una cum remissione peccatorum, fidem, spem, & charitatem. Juxta Synodum igitur, homo iustus efficitur, cum propter merita Passionis Christi infusas accipit una cum remissione peccatorum, fidem, spem, & charitatem. Atqui hoc manifestè coincidit cum eo, quod superius dixerat, justificationem scilicet non esse solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Synodus igitur per gratiam & dona, quorum voluntaria susceptione sanctificatur & renovatur interior homo, manifestè intelligit fidem, spem, & charitatem, & quidem habituales, non actuales: loquitur enim de fide, spe, & charitate, non quas elicit sed quas infusas accipit homo, & quidem natura prius credendo, sperando & diligendo sicut oportet ad justificationis gratiam consequendam.

Prob. 2. Illud est inherens iustitia, per quod homo, qui iustificatur, inseritur Christo, ei perfectè unitur, & vivum ejus membrum efficitur. Atqui homo, qui iustificatur, inseritur Christo, ei perfectè unitur, & vivum ejus membrum efficitur per habitus fidei, spei, & charitatis, juncta remissione peccatorum. Ergo habitus fidei, spei, & charitatis constituunt inherentem iustitiam.

Major faciliè probatur: nam per illud homo inseritur Christo, & vivum ejus membrum efficitur, per quod iustificatur: iustificatur autem per inherentem iustitiam, minor verò apertè colligitur ex verbis Concilii proximè citatis: cum enim Concilium dicit hominem per fidem sine spe & charitate uniri perfectè cum Christo, ac vivum ejus membrum effici, & idcirco in justificatione cum remissione peccatorum non solum fidem, sed etiam spem & charitatem infusas accipere; apertè supponit & significat, eum per fidem, spem & charitatem, quas infusas accipit, re ipsa uniri perfectè cum Christo, & fieri vivum ejus membrum.

Prob. 3. Inherens iustitia est, id quod formaliter constituit hominem in esse iusti, ut per se patet. Atqui collectio habituum fidei, spei, & charitatis for-

maliter constituit hominem in esse iusti. Ergo, &c. *Prob. min.* Esse iusti in homine duo tantum dicuntur essentialiter, nempe esse purum ab omni labe mortali, & esse intrinsecè ac permanentem habitalem ad exercendos actus supernaturales, qui versantur circa Deum immediatè. Atqui hæc duo formaliter præstat in homine collectio habituum fidei, spei & charitatis. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. fides, spes, & charitas habitualis sunt supernaturales potentie, animæ permanentes inherentes, adeoque illam intrinsecè ac permanentem habilitantes ad actus divini ordinis. 2. Charitas habitualis propter suam excellentiam, moraliter saltem impossibilis est cum omni labe mortali, adeoque omnem labem mortalem ab anima cui inest, expungit. Ergo, &c.

Obj. 1. Per quodlibet peccatum mortale amittitur iustitia. Sed fides & spes non amittuntur per quodlibet peccatum mortale. Ergo fides & spes non sunt iustitia. *R. dist. maj.* Per quodlibet peccatum mortale amittitur iustitia, quantum ad denominationem iusti, *C. maj.* Homo enim iustificatur, ubi primum peccat mortaliter, desinit esse iustus, & incipit esse iniustus, quod verum esse etiam in ea hypothèsi, in qua supponeretur in eo post peccatum mortale omnes habitus theologicos remanere. Per quodlibet peccatum mortale amittitur iustitia, quantum ad entitatem, *subd.* Amittitur partialiter, *C. iterum maj.* Totaliter, *N. maj.* Nam entitas iustitiæ est aggregatum ex habitibus fidei, spei, & charitatis. Per quodlibet autem peccatum mortale amittitur quidem habitus charitatis. At habitus fidei & spei non amittuntur nisi per actus sibi specialiter oppositos. Unde concessa minore, *dist. conf.* Ergo fides & spes non sunt iustitia totaliter sumpta, sive non sunt tota entitas iustitiæ, *C. conf.* Non sunt iustitia partialiter sumpta, sive non sunt partes iustitiæ, *N. conf.*

Dices. Ergo homo iustificatus potest peccare mortaliter, & tamen adhuc retinere duas partes entitatis iustitiæ: potest enim peccare mortaliter, & tamen adhuc retinere fidem & spem habituales. Absurdum *conf.* Ergo, &c. *Nego min. Prob.* Nam si homo iustificatus, admissio peccato mortali, adhuc tamen unam vel duas partes iustitiæ retineret; admissio peccati mortali, adhuc esset iustus. Absurdum *conf.* Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Non enim iustus est, sed iniustus, qui neque purus est à labe mortali, neque intrinsecè habilis est ad omnes actus divini ordinis. Homo autem iustificatus, si peccet mortaliter, & labem habet mortalem, & amissa charitate habituali, amittit potentiam supernaturalem, qua intrinsecè habilitabatur ad diligendum Deum super omnia propter se. Non est igitur amplius iustus, sed iniustus.

Dices. Saltem erit semi-iustus, seu ex parte iustus. Absurdum *conf.* Ergo, &c. *R. neg. seq.* Ratio negandi est, quia denominatio iusti consistit in indivisibili: unde vel tota retinetur, vel tota amittitur. Et verò denominatio iusti dicit indivisibiliter duo, nempe puritatem animæ ab omni labe mortali, & intrinsecam ac permanentem habilitatem ad omnes actus illos, qui sunt immediatè circa Deum. Si hoc utrumque habes, iustus es. Si alterum tibi deest, nempe puritas à labe mortali, etiamsi, quod tamen secundum legem ordinariam fieri non potest, omnibus habitibus theologicis instructus maneat, adeoque intrinsecam ac permanentem ad omnes actus divini ordinis habilitatem retineas, simpliciter iniustus es, adeoque nullo pacto iustus dicendus.

Obj. 2. Ex Trid. sess. 6. c. 7. causa formalis nostræ justificationis unica est. Sed inherens iustitia est causa formalis nostræ justificationis. Ergo unica est. Ergo una est unitate simplici, ac proinde non est aggregatum ex habitibus fidei, spei, & charitatis. *R. neg.* hanc secundam *conf.* Nam Synodus, cum desinit causam formalem justificationis nostræ unicam esse, vult tantum damnare sententiam asserentium hominem formaliter iustificari partim per inherentem iustitiam, partim per iustitiam Christi extrinsecè imputatam. Jux-

Juxta Synodum igitur, causa formalis nostrae justificationis unica est, non quia est una simplex entitas, sed quia duplex non est, una intrinseca, & altera extrinseca; vel, si vis, quia prae inhaerentem justitiam, non est alia forma justificans; quamvis ipsa inhaerens justitia, quae sola per modum formae justificat, non sit unica unitate simplici, sed collectionis tantum, sicut aedificium est unicum, & civitas unica.

Obj. 3. Si habitus virtutum theologiarum pertinent ad constitutivum inhaerentis justitiae, ad illud etiam pertinent habitus supernaturales virtutum moralium: nam si intrinseca & permanens habilitas operandi justae circa Deum immediate, est de ratione inhaerentis justitiae, est quoque de ejus ratione intrinseca & permanens habilitas operandi justae in materia virtutum moralium supernaturalium. Atqui consequens videtur non esse admittendum. Ergo, &c.

R. habitus supernaturales virtutum moralium, ex hypothesi quod datur, pertinere ad constitutivum inhaerentis justitiae, & ejus quasi substantiam physicam constituere cum habitibus virtutum theologiarum; cum hoc tamen discrimine, quod habitus virtutum theologiarum sint partes magis praecipuae, & quasi essentialiales inhaerentis justitiae; habitus vero supernaturales virtutum moralium sint illius partes minus praecipuae, & quasi integrantes tantum. Unde cum dicimus inhaerentem justitiam consistere in habitibus theologicis fidei, spei & charitatis, subintelligendum est, tanquam partibus magis praecipuis, & quasi essentialibus, ex hypothesi tamen quod datur habitus supernaturales virtutum moralium distincti ab habitibus Theologicis, quod non est adeo certum.

ARTICULUS V.

Utrum prae habitibus theologicis fidei, spei & charitatis, admittenda sit gratia sanctificans, ab illis realiter distincta, illisque realiter superaddita, quae cum illis hominem sanctificet, & renovet interior.

RESPONSIO.

Videtur non esse admittenda.

Prob. breviter. Nam 1. talis gratia neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ratione aliqua efficaciter potest ostendi. 2. Talis gratia nulla videtur esse necessitas; cum ex Tridentino videantur infusi habitus fidei, spei & charitatis, sufficere ad hoc ut homo sanctificetur, renovetur interior, inferatur Christo, & vivum ejus membrum efficiatur, Ergo, &c.

Obj. 1. Scripturae passim innuunt gratiam sanctificantem distingui realiter ab habitibus theologicis. Ergo, &c. *Neg. ant. Probabis.* 1. Enim docent nos fieri consortes divinae naturae per gratiam sanctificantem. 2. Docent nos per gratiam sanctificantem fieri Deo gratos, amicos Dei, & ejus haeredes. Atqui nihil horum praestare possunt habitus theologici. Ergo, &c. *R. neg. min.* Nam 1. habitus theologici, ac imprimis charitas, tribuunt nobis quoddam esse supernaturale & divinum; cum sint praestantissima quaedam naturae divinae participationes, & potentiae operandi modo quoddam excellentissimo circa Deum immediate. Hoc non obscure innuit Scriptura, cum ait 2. Petri cap. 1. nobis à Deo maxima & pretiosa promissa donari, quibus efficiamur divinae consortes naturae. 2. Quod etiam habitus theologici nos reddant Deo gratos, & efficiant ejus amicos, filios adoptivos, atque haeredes, infra ostenditur.

Dices. Ex Scriptura. Spiritus sanctus prius nobis datur per gratiam sanctificantem, quam nobis infundatur charitas habitualis, juxta illud Rom. c. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ergo, &c. *R. neg. ant.* Nam in tantum Spiritus sanctus dicitur nobis dari in justificatione, in quantum incipit in nobis esse novo modo, per specialem scilicet assistentiam, & per productionem & conservationem virtutum theologiarum; nec aliud intendit Apostolus loco laudato.

Dices. Prius diligimur à Deo, quam ipsum diligamus, juxta illud 1. Joan. c. 4. *In hoc est charitas (Dei) non quasi dilexerimus Deum (priores), sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Ergo habitualis charitas, qua diligimus Deum, posterior est gratia sanctificante, qua sumus Deo grati & amabiles, proindeque ab eo diligimur.

R. dist. ant. Prius diligimur à Deo dilectione benevolentiae, quam ipsum diligamus, C. ant. Dilectione amicitiae, N. ant. & conf. Duplex est amor Dei erga nos, amor benevolentiae, & amor amicitiae. Amor benevolentiae est ille, quo Deus nos amat, non quia sumus, nondum enim sumus, sed ut simus ei grati & amabiles, eumque amemus. Amor amicitiae est ille, quo Deus amat nos, quia sumus justii & sancti, adeoque ei amabiles & grati, eumque amamus amore charitatis.

1. Itaque Deus amat nos amore benevolentiae. 2. Sic nos amando, infundit nobis charitatem habitualement, cum aliis virtutibus theologicis, & infundendo facit nos justos, sanctos; ac sui dilectores, ac proinde sibi gratos & amabiles. 3. Quia justii sumus & sancti, ipsiusque dilectores, & ejus amore digni, amat nos amore amicitiae. Ex quibus apparet nullum relinquere locum gratiae sanctificantis, distinctae & diversae à charitate habituali, & aliis virtutibus theologicis.

Amor amicitiae supponit in nobis infusionem charitatis habitualis, & aliarum virtutum theologiarum. Infusio charitatis habitualis, & aliarum virtutum theologiarum, supponit amorem benevolentiae. Amor vero benevolentiae nullum planè motivum ex parte nostri supponit, quale posset esse gratia aliqua, qua redderemur grati & amabiles Deo: est enim amor, quo Deus nos indignos, ex pura misericordia diligit; & quia sic diligit movet nos quomodo nobis aptum est ut disponamus & praeparemus nos per actus salutares ad obtinendam justificationis gratiam, quae non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio ac renovatio interioris hominis, quae fit per infusionem charitatis habitualis, & aliarum virtutum theologiarum.

Obj. 2. Concilium Tridentinum distinguit gratiam sanctificantem à virtutibus infusis. Nam sess. 6. c. 7. dicit hominem justificari per voluntariam susceptionem gratiae & donorum; & can. 11. anathematizat eos, qui dicunt hominem justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate. Item Concilium Viennense sub Clemente V. ait in baptismo tam parvulis quam adultis conferri informantem gratiam, & virtutes. Ergo, &c.

R. neg. ant. Ad prob. R. Cum Concilia dicunt gratiam & dona, gratiam & virtutes, vel idem planè per has voces intelligunt, vel nomine gratiae charitatem, & nomine donorum & virtutum alios habitus infusos significant; ita ut perinde sit ac si dicerent charitatem & alia dona infusa, charitatem & alias virtutes infusas. Porro nobis aperte favet Synodus Trid. can. 11. cum enim dicit: *Exclusa gratia & charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhaereat, & non dicit, diffundantur, atque illis inhaereant,* manifestè significat se per gratiam & charitatem planè intelligere.

Obj. 3. Patres admiscere gratiam sanctificantem, à virtutibus theologicis distinctam. *Nego. Probabis.* 1. S. Dionysius c. 2. de celesti hierarchia parte 1. dicit, non posse operari divina eum, qui divinum statum consecutus non fuerit. 2. S. Augustinus lib. de gratia Christi c. 30. ait se gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas diffunditur in cordibus nostris, nusquam Pelagium & Celestium invenire, quem admodum confitenda est, confiteri.

R. ad 1. Statum illum divinum, sine quo non possumus operari divina, tribui nobis formaliter per habitus virtutum theologiarum, per quos etiam formaliter nobis tribuitur facultas exercendi operationes divinas. *R. ad 2.* S. Augustinum loqui de gratia, non qua formaliter, sed qua efficienter justificamur;

sequ